DE

NATURA TYPHI ABDOMINALIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIII. MENS. JULII A. MDCCCXXXV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES PROEBSTING

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

E. WIEDEMANN, MED. ET CHIR. DR.
TH. JELLINGHAUS, MED. ET CHIR. DD.
H. ARENS, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.

FRATRIBUS CARISSIMIS, DILECTISSIMIS

FRANCISCO ET BERNARDO
PROEBSTING

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Licet ultimo decennio scripta de typho abdominali innumerabilia in lucem prodierint, licet multa cadavera dissecta huic ambiguo morbo aliquam lucem attulerint, abditam tamen morbi causam, geneseos rationem, naturamque ejus in apricum deducere non potuerunt igiturque impedire, quominus diversitas opinionum de hoc gravissimo morbo in diem crescat, nequiverunt. Quorum scriptorum multa de typho abdominali, fervore, studio magno tandem meliorem cognitionem de hoc morbo assequendi incensi magna cum diligentia perlegimus, tamen, ut ingenue fateamur, natura hujus morbi semper nobis erat crassis circumfusa tenebris. Quo magis consilium inivimus de hoc morbo dissertationem conscribendi,

ut nos certe hac gravi materia tractanda cognitionem aliquantulum clariorem melioremque hujus morbi adipisceremur. Nam, quum persuasum habeamus, omnibus nostris viribus contentis nos tamen non valere alicui rei clariorem lucem afferre, eam materiem, e qua tractanda maximam utilitatem capturi essemus, eligere non ineptum videbatur. Qua ex causa, si quis miratur, quod nos de re aliquid disputare audemus, quam viri doctissimi et gravissimi illustrare non potuerunt, excusatum habeat.

Doctrina de Typho semper fuit obscura et antiquo et novo tempore, plenaque confusionis et contradictionis. Apud veteres hujus Typhi quinque species exstabant, quae tantopere discedebant, ut neque causa, nec natura neque decursus morborum vinculo aliquo communi conjungerentur. Clarior quidem posteriore aetate notio typhi est facta; attamen omnes propemodum morbi, qui e systematis nervosi affectione prodierunt, nomine Typhi nominabantur. Unde rei medicae parum utilitatis allatum esse, majus autem detrimentum omnes Typho laborantes accepisse, facile intelligendum. Maxime autem ars in pejus conversa est, quum et Cullen (1) permagna licentia notionem Typhi mutaverit et Brown (2),

(1) Synops. nosol. method. T. II. Typhus est morbus contagiosus, calor parum auctus, pulsus parvus, debilis, plerumque frequens, urina parum mutata, sensorii plurimae functiones turbatae, vires multum imminutae.

(2) Element. med. II, 193. Typhus pestilens morbus asthenicus summae, vix ipsa peste excepta, debilitatis est.

quae hactenus de habitu mere externo morbi idea desumta fuerat, ad naturam internam et proximam causam transtulerit. Quo factum est propter opiniones temere conceptas medicorum, qui sectabantur, ut multa millia mortalium ante tempus ad inferos commigraverint arte non minus quam febri ipsa fatali. Quamprimum enim symptomatibus morbi apparentibus, prostratione virium et caeteris, de debilitate vera, tanquam causa efficiente et absoluta cogitantes, nihil antiquius habebant, quam ut confestim remediis calefacientibus, roborantibus analepticis impugnarent. In angustiis nimirum versaremur nos interrogati, quid tandem intelligi vellemus hoc nomine Typhi, sed non diu haesitaremus omnibus explicationibus illam Hippocratis opinionem antiquam: febris typhodes est insignis stupore sensuum et mentis facultatum, sive indiciis graviter affectae virtutis cerebralis et nervosi generis universi, praeferre, discrimine tamen hoc posito, ut sub Hippocratis descriptione Typhum cerebralem secundum auctoritatem Ill. Schoenlein intelligi malimus, ut Typhus abdominalis autem sit febris etiam stupore et perturbatione systematis nervosi insignis, sed potius nervorum et gangliorum abdominalium, simulque conjuncta cum locali affectione naturae magis exanthematicae quam inflammatoriae.

Nihil est utilius nihilque magis profert, ut causam naturamque alicujus morbi recte cognoscamus,

quam quaecunque in corpore et laborantium et defunctorum mutata sint, ea omnia accuratissime perscrutari atque ab omnibus partibus animo ab omni praeconcepta opinione alieno pensare. Est enim una propemodum via, qua sola tandem claram nobis hujus morbi cognitionem comparare possimus, quam viam in Typho dijudicando etiam viri omnes, qui studio huic morbo lucem afferendi flagrarint, ingressi sunt. Liceat nobis multas variasque de hoc morbo opiniones e necroscopiis exortas auctorum comparare, majorem et minorem probabilitatem exponere; dum quae magnam ad partem nosmet ipsi vel alii in cadaveribus dissectis reperimus, paucis tantum verbis enumeravimus.

In cavo enim cerebri vasa membranas encephali percurrentia interdum turgebant sanguine nec tamen multo accumulatoque, ceterum nil mutationis vel abnormitatis. Pulmones in statu sano, sed saepissime nigro sanguine oppleti, qui, si inciduntur, emanare solebat. Tunica mucosa plurimis in cadaveribus et bronchiae et tracheae usque ad laryngem ex rubro nigricans, mollis et nonnunquam relaxata, omnino autem exanthematum vel ulcerum immunis. Interna majorum modo arteriarum modo venarum tunica rubefacta, nec tamen inflammationis peculiarem ruborem prae se fert. Mirum autem, quam parum de nervis abdominalibus et gangliis inquisitum sit, ut nisi Puchelt, Albers et Bail-

ling nonnulla de his observata ferebant, nihil fere, aut fallor, in lucem provenisset. Namque Puchelt (1) atque Albers (2), nervos et ganglia congruere cum sanis, nil alieni et morbosi in substantia eorum inesse putant. Bailling multis in cadaveribus eorum, qui cito Typho abdominali defuncti essent, plexum coeliacum et mesaraicum superiorem oppletum sanguine venoso atque crassiores quam in sano statu, et qui per longius tempus laborassent, eorum nervos crassiores, cartilaginibus haud dissimiles animadvertebat. Morbum autem totam suam vim et vehementiam in intestina convertere omnes consentiunt auctores. Tunica mucosa intestinorum, si aegroti in tertio, nonnunquam etiam in secundo morbi stadio e vita discesserant, ingenti solet obsita esse ulcerum copia. Plurima sedem posuerunt in regione, in qua tenuia intestina in crassa transeunt; alia sunt magnitudinis fabae, alia jam pollicis, nonnulla praebent formam rotundam, ambitum aequum, alia irregularem, serratum, aliorum margines sunt elati et callosi, aliorum vero quasi adesi, dentati. Quibus jam satis elucet, formam ulcerum in uno eodemque cadavere esse diversissimam. Si aegroti autem jam in primo stadio, sexto vel decimo die post invasionem morbi abrepti erant,

---

(1) Heidelberger klinische Annalen. Bd. II u. III.
(2) Albers, die Darmgeschwüre. Bonn. p. 351.

tunica mucosa secundum Andral (1) subrotundis corpusculis tunicae impositis obtecta est. In superficie eorum puncta nigra, in serie collocata, quorum magnitudo magnopere variabat, obviam venerunt; nam diametros aliorum aequabat lineam unam, quatuor lineas aliorum. Si tactu explorabantur, erant infixa atque tunica mucosa, qua obtecta, mollis quidem, sed normalis. Modo erat tunica circa has maculas magis rubra, modo emollita laevis cinereaque, interdum vero nequaquam a gradu normali recedens. Jam ad finem jejuni hujuscemodi degenerationes et depravationes singularum et parvarum partium etiamsi rariores, in ilio autem crebriores etiamque majores praecipue prope ad valvulam Bauhini innumerabiles deprehenduntur, in colo adscendenti passim glandulas sanis crassiores et tunicam mucosam interdum valde destructam inveniebat Puchelt, Albers mesenterii quoque glandulas semper crassiores, majores rubrioresque quam in normali statu. —

De ratione et connexu, quem haec ilei labes cum typho abdominali ineat, maxima existit opinionum diversitas. Medici omnes fere francogallici malum tubi intestinalis esse causam proximam et unicam morbi asserunt. Neumann (2)

---

(1) Clinique medical. III.

(2) Hufelands Journal, LXIV, 3.

illud pro inflammatione sola, quae in stadio paralytico febrium nervosarum creberrime exoriri solet, habendum esse putat. — Est autem sine dubio verum, etiam in cadaveribus eorum, qui primis jam diebus morbo pernicioso abrepti sint, nihilominus degenerationes, jam supra fusius descriptas, obvias esse; ergoque Typhus abdominalis, etiamsi fortasse non statim incipiente morbo, attamen jam in primo stadio hoc ilei malo stipatur. Bischoff (1) quoque habet pro inflammatione tunicae mucosae, quae, quum mox adesse, mox deesse queat, omnino accidentalis fit. Si quis autem in mentem revocat, singulas modo et finibus arctis circumscriptas in cadaveribus partes destructas esse et propemodum solo in ileo, opinioni Bischoffii contradicat necesse est. Neque enim videmus causam aliquam, qua, si tunica inflammata sit, ulcerationes non majoris ambitus sint et cur non inflammatam partem sine intervallo occupent. Albers opinionis est, solam esse complicationem Typhi abdominalis, exortam ex constitutione singulorum a morbo correptorum atque praecipue, quorum habitus sit scrophulosus. Ulcera, ait, quae morbus scrophulosus efficit, eandem habent formam, quam in cadaveribus Typho abdominali defunctorum vi-

---

(1) Grundsätze der Erkenntnisse und Behandlung der Fieber und Entzündungen. p. 214.

demus. Mirum, sed opinionem meam adjuvans, pergit, quod apud natu majores, qui ante mortem eadem, quae natu minores, hoc morbo laborantes, obtulerunt symptomata, post mortem ulcera intestinalia desunt. Sed partim comperimus ex observationibus virorum aliorum facultate observandi sat magna praeditorum, partim etiam ipsi in nosocomio caritatis Berolinensi persuasionem acquisivimus, morbum nostrum nulli aetati, nullique constitutioni parcere. Atque maxime obnoxia, ut nobis videbatur, huic morbo aetas media est, infantes autem rarius hoc morbo corripiuntur; ulcera deesse apud natu majores unquam aut observasse aut legisse non recordamur majoresque non tam graviter laborasse, ocius faciliusque morbum superare, vix credimus. Alii auctores et inter eos Bretoneau, Bailling et Schoenlein labem intestinorum magis exanthematicae naturae, affectionem localem universalis autem morbi arbitrantur. Ad quas sententias Andral quoque proxime accedere nobis videtur. Permulta huic opinioni favere, et formam ulcerum et decursum typhi abdominalis morbis simillimum esse exanthematicis acutis, est concedendum. Quamobrem autem, si exanthema sit, ulcera intestinalia in extrema ilei parte tam crebra reperiantur, cur in prima tam pauca, et in jejuno nulla propemodum existant, bene explicari nequit. Itaque verissimillimum nobis hoc esse videtur, ulcera ex glandulis

tamen, etiamsi non inflammatis, originem ducere. Nam (1) multa sunt, ut soliditas, calor peculiaris massae exsudatae, quae a materie communi inflammatione effecta differt, inflammationi glandularum adversantur. Et si jam sanae glandulae sub tunicam mucosam parumper elevatae sint, facile excrementis loca haec iniqua irretari et offendi nobis videntur, itaque effici potest, ut glandulae, morbosa certe tunica (nam omnes fere mucosae in typho abdominali aegrotant) obtectae sensim pedetentimque in inflammationem et ulcera transeant. Malum autem ilei, ut viri francogallici, et Lesser persuasum habent, proximam morbi causam esse, intelligere nequimus. Nam in quam multis cadaveribus etsi solertissima manu lustratis nulla prorsus invenitur mutatio, exceptis nonnullis maculis excoriationibusque, cui lethi causa jure tribui possit! Quam multi morbi eadem ulcera intestinalia gignunt, quorum decursus, quorum symptomata plane a typho abdominali discrepant. Febris simul, comes typhi abdominalis, esset modo secundaria, ut etiam Lesser contendit, ex ulceribus exorta; ergoque necesse esset, ut ejus vehementia et saevitia magnitudini multitudinique correspondeat ulcerum; quod quidem omnino non ita se habet. Si ex dic-

---

(1) De glandularum intestinalium structura penitiori. Auct. L. Böhm. P. 20.

tis liqueat labem intestinalem non pro sola complicatione, aut inflammatione accidentali, aut effectu secundario, non pro causa morbi proxima habendam esse, unum tantum modo restat, ut res essentialis, necessariaque, sine qua morbus non iniret formam et decursum, in ipsa typhi abdominalis natura posita sumatur. Nam ut in aliis morbis saepissime videmus, ita hic quoque processus morbosus totam vim, totumque imperium in formanda hac effectione topica adhibuit, ut, hac superata et exstincta, sanatio et liberatio omnis morbi celerrime sequatur. Hujusmodi sunt affectiones et cerebri et faucium in scarlatina, hujusmodi tracheae in morbillis etiamque cutis in contagioso typho. Ut autem exanthemata modo in majori modo in minori copia prorumpunt et florent, sic etiam sine dubio in typho abdominali ulcera mox copiosa, mox pauca animadvertuntur.

Priusquam nunc de differentia inter typhum abdominalem et alios morbos cognatos plura verba facimus, aetiologica momenta, decursum et symptomata praecipua, et num omnino existant, quae dicta pathognomonica, nec ne perlustremus.

Insignem enim in producendis, alendis, modeficandis morbis popularibus, ut unanimo exploratum est medicorum consensu, influxum exercet aër atmosphaericus, e quo vitae fonte nemo non potare cogitur. Reducuntur autem potiores aëris quali-

tates ad udorem, temperiem, pondus atque electricitatem, quorum omnium major minorve gradus constantia aut vicissitudo, non solum a ventorum imperio, ordinato anni temporum circuitu et geographica positione, sed etiam a pecularibus soli quatitatibus sive a physico, ut ajunt, climate dependent. Proportio Hydrogenii praeter solitum major, aqua in aëre copiosior soluta, loca demissiora, lacunae, prata, arva aquis stagnantibus redundantia, imperio ventorum subducta, aestu premente sunt in universum fontes morborum epidemicorum et praecipue morbi nostri. Magis etiam damnosum in efficiendis propagandisque febribus typhosis vim exercent aëris corruptiones, exhalationibus cloacarum, sentinarum, sterquilinorum exortae. Quas sententias plurimae febrium epidemicarum majus minusve similium historiae probant, ante omnes unam Heidelbergensem anno 1820 grassatam ab attentissimo naturae observatore Pucheltio*), cujus discipulis adnumerari nobis gratulamur, classico calamo et singulari eruditione delineatam, admonemus. Aqua maritima cum dulci confluens ac defervescens non minus gignit typhum. Nam sive Lugduni Batavorum sive Lovaniae epidemiam maxime funestam aqua maritima cum dulci confluente, exhalante exortam esse nos usquam legisse bene meminimus. Tem-

---

*) Heidelberger klinische Annalen II. und III. Band.

pestatum anni mutationes et in ipsis anni tempestatibus magnae frigoris et caloris mutationes potissimum morbos parere. jam Hippocrates docuit et Schoenlein, vir, quando fortasse dignus ut cum patre artis nostrae componatur, ex his causis typhum abdominalem originem suam ducere. Etenim refrigerationes repentinae saepe excitant typhum abdominalem. Quaecunque corporis vires debilitant conficiuntque, alimenta mala, vel diu toleranda inedia, usus panis e farina vetusta, corrupta vel grano depravato et in universum cibi difficile assimilandi, potissimum autem secundum Schoenlein usus carnis salsae et putrescentis, pisciumque emortuorum, abusus veneris, labores continui vehementissimique et corporis et animi; ea omnia nervos mentis atque corporis frangunt atque adducunt morbum periculosum.

Quantum valeant deprimentes animi passiones in perturbandis systematis nervosi functionibus et quantas inde ipse processus vitalis contrahere queat labes, testantur funesta bella ante breve tempus saevientia *). Nam quicunque exercitus primum superabatur, is a typho infestabatur. Quamquam non nego, omnium ciborum penuriam continuosque labores, magnam, majorem tamen atque multo graviorem, ut

---

*) Bemerkungen über das Nervenfieber von Hufeland. Berlin, 1806.

mihi videtur, partem habuisse in perturbando systemate nervoso, sollicitudinem, indignationem, curam patriaeque desiderium. Typhus abdominalis nulli aetati, ut jam dictum, parcit, attamen maxime est infensus iis, qui media in aetate versantur, qui nondum in pubertatem intraverunt minus infensus et minime, qui decrepi tam jam nacti sunt aetatem. Sed puellas incipientis pubertatis et feminas, easdem hysteria vel apoplexia affectas hoc morbo periculoso crebrius tentari, ut affirmat vir ingeniosus Schoenlein (1), non probant Pucheltii et Albersii observationes et nosmet ipsi in nosodochio caritatis Berolinensi non observavimus. — Quam necessarium et gravissimi sit nomenti, quamquam perdifficile, propemodum impossibile est, jam in initio typhum abdominalem diagnoscere, quia hoc in morbo potest noceri multum, profici parum, facile est intelligendum. Stadia tria morbo attribuimus: 1) Stadium gastricum, quod etiam haud immerito modo catarrhale, modo rheumaticum, modo pituitosum denominari queat; 2) stadium nervosum et 3) stadium criticum.

Symptomata stadii primi nervosa: Sensus magnae debilitatis, lassitudo insignis, languor, capitis gravedo doloresque, vertigo, aegrorum vacillatio in gressu faciendo, oculus languidus, somnus non sine

---

(1) Schönleins Pathologie und Therapie. Bd. II. S. 35.

omni perturbatione, et per noctem, ut quidem jam saepe compertum habuimus, deliria lenia. — Symptomata tunicae mucosae: interdum facies icterica, lingua mucoso, modo subflavo modo albido tegumento obducta, nauseae frequentes, aliquando spontaneae vomituritiones, alvus tarda, vel obstipatio per tres quatuorve dies, deinde diarrhoeae et in regione inguinali dextra dolor proprius, qui vel spontaneus est vel manum prementem sequitur. —

Symptomata febrilia. Horror dimidiae vel integrae horae, horripilationes vagae cum calore alternantes. Pulsus esse solet acceleratus, plenus, mollis, urina sibi non constans, mox pallida, mox regularis, mox jumentosa, quas mutationes percurrere potest paucis in horis. Omnia symptomata typum certum servant, remissiora sunt in matutinis, vespertinis horis graviora.

Stadium secundum, quod diarrhoeae indicare solent. Symptomata tunicae mucosae: lingua vesperi arida fit, et rubra primum in radice et dorso, apice marginibusque tamen humidis, postremum toto in ambitu obtegumento, corio simili, nigro, tenaci piceoque obducitur, papillaeque ejus intumescunt, et dentes et labia sic investiuntur atque nigrescunt. Alvus copiosa ex rubro albescens, quinquies vel sexies per horas viginti et quatuor deponitur, mox autem diarrhoeae profusae. Excrementorum natura primordio non valde insolens, sunt autem aquosa et

flocculis et particulis venosi sanginis mixta, nonnunquam est aqua sanguine omnino tincta. Flocculi multum albuminis, cujus copia gradatim in sanguine minuitur, et calcaria phosphorica, materiem, ex qua ossa constant, in se tenent.

Symptomata nervosa. Permanere incipiunt deliria tandemque non desinunt. Aegroti voce depressa murmurant, sonoros non edunt clamores neque deliria furibunda neque iracunda animadvertuntur. Aegri, si interrogantur, quomodo se habeant, semper, se bene valere, effantur. Magna sunt affecti aegri pigritia; non poscunt poculum, quamquam sitis eorum ardens est; infixi quasi, sine ullo motu in dorso jacent; temulentia et stupor ad summum pervenerunt apicem, suntque hujusmodi, quales ab ebrietate vel majoribus narcoticorum dosibus induci solent. Tempora collabuntur et nasi apex fit acuminatus. Crocidismus et carphologia adsunt, paeneque semper meteorismus.

Symptomata febrilia: Aestus febrilis mirum in modum crescit, ariditas cutis, ipsarumque tunicarum mucosarum maxima, mordax manui tangenti sese offert calor. Interdum, sed raro, cutis sudore parum aegrum levante, obtecta est. Pulsus vix numerari possunt, praeterea vacui, debiles, filiformes nec raro irregulares et intermittentes. Petechiae albae nec minus exanthema miliare primum in abdomine, mox deinde toto in corpore exoriuntur. Stadia morbi circulo septenario absolvuntur.

Stadium criticum. Si vitae vel etiam curae in certamine cum morbo victoriae palma concessa est, haec fere observantur: Die undecima nonnunquam, plerumque autem decima et quarta, postquam gravior praecesserat perturbatio febrilis, sicca antea cutis, lingua et tunica narium mucosa humescunt, coagula muci indurati, parietibus choanarum pertinaciter adhaerentis, separantur, arida mollescit cutis ac benefico irroratur sudore aequabili, vaporoso, odoris specifici; raro suboritur epistaxis. Sputa mucosa exspuuntur et sublevant pectoris molestias, urinae fluunt saturae sedimentum deponentes furfuraceum albidum, aut rutilum. Pulsuum frequentia primo quidem manet magna, sed paulatim minuitur, arteria etiam tumescit. Diarrhoeae minuuntur, excreta initio aquosa, mox faeculenta magis magisque accedunt ad naturalem conditionem. Meteorismus evanescit, simulque vertigo. Appetitus redit ita quidem, ut saepe coerceatur oporteat. Pro psychica crisi nonnunquam repente deliriis desinentibus, somnus profundus habendus est, e quo aegroti expergefacti pristinam recuperant conscientiam. Attamen remanet longum per tempus sensus lassitudinis, pallor faciei, mentis aliqua imbecillitas, somni cupido, alvusque tarda. —

Transitus typhi abdominalis imperfecte resoluti in alios morbos.

Turbationes digestionis et viscerum abdominalium remanent; aegri in melancholiam cupidini conjunctam sibi ipsis manum inferendi vel in hypochondriasin et foeminae propter menstruationem perturbatam in hysteriam incidunt.

In exitum lethalem:

Mors interdum jam subintrat undecimo die, saepissime autem decimo et quarto. Morbus summo in fastigio paralysi nervorum abdominalium finitur. Haec symptomata in lucem prodeunt. Meteorismus magnopere crescit. Excreta aegroto nescio per diem undecies duodecies secernuntur, sunt fluida, sanguine dissoluto, graviter redolenti permixta. Extremitates, dum trunci calor semper est adauctus, frigescunt. Pulsus parvi, filiformes, vermiculares, frequentissimi, subsultus tendinum, singultus. Mors etiam paratur morbis secundariis; parotitide exorta, quae transit in suppurationem, decubitu producto eoque febri hectica effecta, vel quum tubus intestinalis, affectionibus localibus valde adauctis et ulceribus latius propagatis, perforetur.

Cum typhus abdominalis cum aliis morbis typhosis permutari queat, exploremur, utrum existant signa pathognomonica an non. Sed praefamur, morbum non nisi ab initio observatum recte ac certe dignosci et etiam sic saepe errari posse. Nam in nonnullis aegrotis tam exigua, tam levia atque minoris momenti affectio localis est, ut neque dolor,

neque tensio, neque calor in regione dextra inguinali sentiatur, symptomata autem cerebri tam periculosa, tam praevalentia sunt, ut attentio nostra non ad abdomen sed ad cerebrum vertatur. Huc accedit, quod typho abdominali saepissime antecedunt symptomata aliis quoque morbis typhosis propria. Morbo longius provecto omnia saepe evanescunt symptomata, quibus distingui morbus noster queat ab aliis morbis cognatis. Quibus omnibus mente animoque perlustratis signum peculiare in aliis morbis non deprehensum existere nullum, persuasum habemus. Neque diagnosis igitur uno signo statui potest, sed comparandis pluribus signis cum iis similium morborum eam fulciri atque muniri oportet. Jam suscipiamus singula symptomata dijudicare.

I. Dolor in regione inguinali dextra aut manu premente revocatus aut spontaneus sine dubio attinet ad symptomata gravissima. Neque tamen est signum constans neque semper talis dolor morbum nostrum indicat. Pluries nobis in nosocomio Berolinensi occasio erat data, dolorem non solum ab initio morbi, sed etiam per omnem decursum plane deesse observandi. Haud scio, utrum affectio localis initio minoris, sit momenti, quam ut aeger sentiat manu premente dolorem et morbo jam progresso, an affectio sensus atque mentis tam sit eximia magnaque, ut dolorem non percipiat aegrotus. Item quoque **Puchelt**, **Lesser**, **Pommer**, diligentis-

sime explorantes dolorem in regione inguinali dextra deprehendere potuerant nullum. Quare Albers (1), illud signum esse constans falso contendit. Quem dolorem praeterea manu premente revocatum et adauctum in multis morbis febrilibus, ut in inflammatoriis et rheumaticis nonnunquam nullius esse momenti atque sine omni dignitate, nos omnes non fugit, quum saepe inflammationem levem aut musculorum abdominalium aut tunicarum serosarum indicet ejusque minor majorve gradus non semper vel a majore vel a minore inflammatione, sed etiam a diversa nervorum sensibilitate dependeat. Quod vero aegroti primo regionis inguinalis dextrae tactu vultum contrahant atque ingemescant, progresso autem morbo non exprimant dolorem, non tamen concludendum est, abdomen omni affectione locali esse inmune.

II. Diarrhoeae. Plerumque alvi sunt numero adauctae et excrementa aquosa fluidaque. Puchelt se semper ab initio morbi observasse diarrhoeas dicit. In nosodochio autem Berolinensi alvum initio retardatam aut plane non turbatam esse, non raro observari potest, et nos saepe observavimus. Nam aegroti alvum semel vel bis per diem deponebant, excreta erant solitae conditionis, et si tandem in

(1) Albers über die Darmgeschwüre. P. 114. 287. 288.

altero typhi stadio diarrhoeae veniebant, excretaque fluida et aquosa fiebant, certiorem quidem diagnosin reddebant, sed mors solebat non procul remota esse. Ergo nobis non multum dejectio alvi ad initio cognoscendum morbum nostrum conferre videtur.

III. Vomitus, linguae margines atque apex rubri, papillae ejus tumefactae, omnis defectio appetitus, sitis permagna, haec omnia signa quidem typhum abdominalem semper propemodum comitantur, sed in aliis tubi intestinalis morbis non deesse solent, qua ex caussa apud medicos nonnullos praecipue Francogallicos, qui praecepta Broussai audiunt, ut indicia gastritidis nimis magnum pondus habent. Quorum symptomata nullum connexum cum typho necessarium inire, neque semper adesse, neque solo in hoc morbo omnibus aliis exceptis deprehendi, jam Andral et Louis perspicue illustraverunt.

IV. Meteorismus abdominis aut universalis aut partialis a regione inguinali dextra exordiens, et deinde progrediens a Bischoffio ad symptomata affectionis localis adnumeratur. Attamen e descriptionibus medicorum aliorum, meteorismum nonnunquam desiderari satis superque apparet, et nosmet ipsi quoque omnes universalem meteorismum saepe originem suam ex aliis morbis ducere scimus. Ergo hoc quoque symptoma solum diagnosin ponere omnemque dubitationem amovere nequit.

V. Febris, quae prima certe in hebdomade re-

gulariter vel remittens vel intermittens est, aliis in aegrotis occulte serpit lenteque crescit, in aliis repente exoritur magna gravisque. Neque raro primos dies aegroti ab omni febricula liberi peragunt, vesperem autem versus horrore febrili, capitis doloribus, inquietudine vexantur. Interdum autem tertianum typum servari dicitur. Acceleratio pulsus parva esse solet in minuta non 75—85 ictus excedens matutino tempore, sed accelerationem et febrilia symptomata vespertino tempore nunquam deesse vidi. Rubor turgorque faciei, qui in exacerbationibus adaucti sunt, omnino fugiunt in remissionibus; sed febris jam magna et valida remanet etiam in remissione, rubor in genis arcte circumscriptus.

VI. Symptomata nervosa. Initio sensus lethiferi languoris, quem nullo modo, si respicis objectiva signa, decursumque morbi, veram debilitatem habebis. Neque desunt sensuum mendacia, aurium oculorumque ludibria, quibus aegrotus impeditur, quominus somnum capiat, vel, etiamsi dormit, mox expergiscitur et excitatur, perturbata loqui incipiens. Quae omnia symptomata pariter ac febris vesperem versus multo sunt graviora et praevalentia. Quae dicta symptomata si deprehenduntur omnia, typhum abdominalem adesse existimandum est.

Jam vero morbos enumerabimus, qui cum ty-

pho abdominali possunt permutari, et quae intersint inter illos breviter exponamus:

1. Gastritis multo luculentius inflammationis symptomata prae se fert, quam morbus noster. Dolor acutus, pungens ab aegrotis in scrobiculo cordis, eo igitur loco, ubi ventriculi pars inflammata jacet, sentitur et tactu pariter atque alimentis, sive fluidis, sive solidis, ventriculo ingestis adaugetur. In typho abdominali autem dolor, si omnino percipitur, alium occupat locum, scilicet regionem, ubi ileum in latere dextro in colon adscendens transit. In gastritide nunquam fere nauseae et vomitus ipse desiderantur, semper obstipatio alvi pertinacisimas observatur, pulsusque magna frequentia et durities inflammatorium pronuntiat caracterem. Quae omnia symptomata in typho abdominali deesse solent, nisi forte complicatione aliqua aut idiosyncrasia haec symptomata gastritidi propria provocentur. Gastritidis decursus plerumque rapidior et exitus in ulcerationem ventriculi quidem, neque vero intestinorum tenuium advertitur.

2. In Encephalitide, quacum morbus noster permisceri possit, aegroti statim ab initio deliriis furibundis vexantur, ita ut omnia destruere studeant. Caput calescit, facies turgescit, rubescit, oculi splendentes, protrusi, pulsus fortis, durus et frequens; nunquam conqueruntur aegri de dolore illo in latere dextro abdominis, uti omnino abdominalia illa sym-

ptomata, quibus typhus abdominalis tantopere insignitur, stupor, susurrus aurium, diarrhoeae propriaque excretorum conditio in encephalitide plane desunt.

3. Febris gastrica. Haud raro a medicis et profanis, si febris gastrica in nervosum transit statum, febrem nervosam esse factam, contenditur. Neque facilis est inter synochicum statum et ipsum typhum abdominalem diagnosis. In febri gastrica autem lingua crassius praebet obtegumentum, intumescentia regionis ventriculi multo major, dolor peculiaris supra plexum coeliacum desideratur, deinde dolores capitis quidem, non vero vertigo, vacillatio in ambulando et deliria blanda stuporque animadvertuntur. Et si denique in altero typhi stadio peculiares diarrhoeae, dolor in regione inguinali dextra accedunt, vix poterit admitti morbi nostri mutatio cum febri gastrica.

4. Enteritis mucosa. Tanta existit inter hanc et typhum abdominalem similitudo, ut medici Francogallici utrumque morbum pro uno eodemque morbo haberi velint. Diagnosis autem hisce potissimum momentis munitur et stabilitur. In enteritide mucosa diarrhoea symptoma primum et constans est; excretiones aliam praebent speciem et qualitatem; symptomata nervosa plane desunt.

5. In phthisi pulmonali faeces cum pure permixtae sunt, dolor intestinorum multo vehementior;

vesperem versus febris phthisica simul cum sudoribus colliquativis subintrat; in phthisi intestinali nil occurrit phaenomenorum nervosorum.

6. Delirium tremens. Fortasse tironi rei medicae possit evenire, ut delirium tremens cum typho abdominali permutet, quod quum curam utroque in morbo plane aliam esse oporteat, tristissimas gignere possit sequelas. Sin vero in animo tenes illa signa pathognomonica delirii trementis, agrypniam, hallucinationes proprias et tremorem artuum, atque si recordaris febrem ibi plerumque abesse, neque etiam diarrhoeas et gastrica typhi abdominalis symptomata in delirio trementi occurrere, nequaquam tam crudi modo diversissimos morbos permiscebis.

Quid commemoremus hepatitidem, myelitidem, meningitidem et arachnitidem? quid verba faciamus de rheumatismo sic dicto nervoso, de gastromalacia, de typho cerebrali et mania? nonne etiamsi haec illa intercedat inter hos nostrumque morbum similitudo, primo statim intuitu typhum abdominalem ab iis discernere poteris?

VITA.

Ego *Joannes Proebsting*, confessioni catholicae addictus, natus Grevoniae, prope oppidum Monasterium sitae die XXII. mensis Novembris anni MDCCCVII patre usus sum *Augusto Proebsting*, matre *Elisabetha* e stirpe *Schengber*, quos parentes morte mihi jam dudum abreptos maxime lugeo. Primis litterarum rudimentis imbutus, Gymnasium Meppense, quod tunc temporis rectore *Korte* florebat, adii ibique per annos tres litteris operam dedi. Deinde Gymnasium Monasteriense, cui praeerat *Nadermann*, petii, ubi quatuor annis praeterlapsis maturitatis testimonium nactus sum. Deinde in eadem urbe civibus academicis adscriptus, psychologiae, logicae a Cel. *Esser*, physicae a Cel. *Rolink* traditae interfui. Eodem tempore scholas, quae in instituto medico-chirurgico habebantur, frequentavi: chemiam apud Cel. *Bodde*, anatomiam apud Cel. *Tourtual*, physiologiam apud Cel. *Haindorf*. Mense Octobri anni MDCCCXXXI ad almam universitatem literariam Heidelbergensem me contuli, ibique, ab Ill.

Umbreit, t. t. Rectore Magnifico inter cives academicos receptus per biennium, quo ibi versatus sum, hosce illustrissimos et clarissimos habui praeceptores: Ill. *Tiedemann* de anatomia et physiologia, simulque cum Cel. *Arnold* mihi dux fuit in arte cadavera rite dissecandi; de chemia theoretica et organica et anorganica Ill. *Gmelin*, de botanice pharmaceutica Ill. *C. Bischoff*, de anatomia et physiologia systematis nervosi Cel. *Arnold*, de materia medica et arte formulas concinnandi medicas Ill. *Dierbach*, de chirurgia, ophthalmiatrice et arte fascias applicandi Ill. *Chelius*, de arte obstetricia Ill. *Naegele.*

Praeterea in exercitationibus clinicis medicis Ill. *Puchelt*, clinicis chirurgicis et ophthalmiatricis Ill. *Chelius* duces mihi fuerunt. Exeunte autumno anni MDCCCXXXIII Berolinum profectus ibique a rectore magnifico Ill. *Straufs* in civium academicorum numerum receptus et a Decano spectatissimo Ill. *Busch* inscriptus has scholas clinicas frequentavi: medicas Cel. *Barez*, Cel. *Wolff* et Ill. *Bartels*, policlinicas Cel. *Truestedt*, chirurgicas Ill. *Rust* et Cel. *Dieffenbach*, ophthalmiatricas Ill. *Juengken.*

Omnibus, quos dixi, viris Illustrissimis de me valde meritis summas gratias ago et eorum memoriam pio gratoque animo semper servabo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione hac, thesibusque rite defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. *Ulcera intestinalia, quae in secundo typhi abdominalis stadio oriuntur, pro exanthematibus habenda sunt.*
2. *Malum ilei non est causa proxima typhi abdominalis.*
3. *Materia tuberculosa non solum e succis secretis, sed etiam degeneratione organorum ipsorum exoritur.*
4. *Inflammatio non est vis vitalis adaucta, sed irritatio adaucta.*